Assertiones philosophicae pro bacca laurea.

Numéro d'inventaire : 1980.00014.46
Auteur(s) : Pierre de Mondory
Type de document : affiche
Éditeur : non renseigné (Tournon)
Période de création : 1er quart 17e siècle
Date de création : 1607
Description : Une feuille très dégradée. De nombreuses et importantes déchirures ont été réparées au moyen de ruban adhésif. Une estampe en taille-douce dans la partie supérieure. Texte imprimé dans un cadre de frise. Le papier est taché en plusieurs endroits. Au verso, un diagramme d'arbre généalogique, à l'encre brunie.
Mesures : hauteur : 570 mm ; largeur : 425 mm
Notes : Affiche annonçant les thèses de philosophie que doit soutenir Pierre de Mondory au collège des Jésuites de Tournon (Academia societatis Jesu), le 17 février 1607. Les articles sont divisés en trois sections, sur deux colonnes, logique, physique et mathématiques. La thèse est dédié à Jésus Christ. L'estampe, signée "PF." représente Jésus Christ entre la Vierge et Saint Joseph (?), avec au-dessus le Saint Esprit et Dieu. Le verso de la feuille a été réutilisé pour représenter un diagramme type d'arbre généalogique, avec l'indication des noms latins et français des degrés de parenté.
Mots-clés : Affiches de thèses et d'exercices publics
Filière : Université
Niveau : Supérieur
Autres descriptions : Langue : Français
Nombre de pages : 1
Mention d'illustration
ill.

DEO OPT. MAX.

ÆTERNÆ SAPIENTIÆ IESV CHRISTO DOMINO
DEO NOSTRO HONOR, ADORATIO,
ET GLORIA ÆTERNA.

SOLI PETRVS DE MONDORY PONIT VOVET HOC VOTVM.

PAtere ALTISSIME, cuius testamentum est liber vitæ, & cognitio veritatis, vt de te dicã quod ipse per Sapientẽ tuum de te dixisti. ALTISSIMVS. Qui implet quasi Phison sapientiam, & quasi Tigris in diebus nouorum, qui adimplet quasi Euphrates sensum: qui multiplicat quasi Iordanis in tempore messis, qui mittit disciplinam sicut lucem, & astitens quasi Gehon in die vindemiæ, qui perficit primus scire ipsam, & infirmior non inuestigauit eam. A mari enim abundabit cogitatio eius, & consilium illius in abysso magna. Ego Sapientia effudi flumina. Ego quasi trames aquæ immensæ de fluuio. Ego quasi fluuius Dorix, & sicut aquæductus exiui de Paradiso, & dixi rigabo hortum meum plantationum, & inebriabo partus mei fructum, & ecce factus est mihi trames abundans, & fluuius meus appropinquauit ad mare. Quoniam doctrinam quasi antelucanum illumino omnibus, & narrabo illam vsque in longinquum. ALTISSIME: hæc laus tua, votum meum: sine te nulla sapientia aut scientia est. Tu me tu mea summus semper retine.

ASSERTIONES PHILOSOPHICÆ PRO BACCA LAVREA.

THESES LOGICAE

1 VNicum est scientiæ Aristotelicæ Organum, hoc argumentatio est, non omnis, sed illa quæ est Methodus. Vt rectæ apprehensionis prima operatio recta, ita rectæ compositionis seu connexionis Organum est secunda operatio perfecta. Via quæ in scientiis seruari debet, non est organum. Hæc tria Logici organa dicuntur *τρία ὄργανα νοητικὰ.*

2 ENtia rationis, & secundæ intentiones, Organorum vmbræ sũt & Ista quæ sam, Isagoge Porphyrii, & series Categoriarũ Aristotelica, primæ operationis organum expedit, libri Priorum secundæ operationis: Analytici, Methodum tertiæ operationis scientificæ, organum pertractant.

3 GEnus, est vniuersale quod de speciebus dumtaxat prædicatur. Sũmũ, & Subalternũ genus, accidentaliter tantũm differunt. Genus non habet multa correlata, vnicum correlatum generis est species. Non sufficit vna species Logica, vt genus suum per intellectum fabricetur.

4 COnuersio & Æquipollẽtia, proprietates sunt quædã Enuntiationis. Modi syncategorematici, qui dictũ enũtiationis afficiũt. longè plures sunt quàm quatuor: nem Categorematici modi, qui aliud significent quàm tempus, in quo connexio dicti vera sit, longè plures sunt quàm quatuor: Modi tamen qui tempus connotent, sunt omnino quatuor.

5 TErtia mentis operatio necessariò illatiua est: non omnis illatio, aut tertia mentis operatio argumentatio est: omnis Syllogismus est essentialiter Methodus, si sumatur Methodus pro illo processũ mentis, qui est illatio. Sola tertia mentis operatio Methodum sibi subiectam habet, quæ duplex est, Demonstratiua & Resolutiua.

6 NOn est confundenda Methodus cum ordine, qui in scientiis seruatur: Ordo scientiæ, quem à Methodo secernimus, duplex est, compositiuus & resolutiuus: ille in scientiis speculatiuis, hic in practicis seruandus est. Compositiuus docet priori loco partes obiecti [illegible] aliis vniuersaliores & [illegible] ordinem proponit qui operabilis est. tum principia [illegible] simplicia posteriùs, composita verò prius explicat.

7 DIscursus est tantùm hominum. Potest intellectus eodem instanti temporis antecedens & consequens simul cognoscere, tamen antecedens semper erit prius natura, quàm consequens. & totius discursus antecedens cognitio, realiter à consequenti distinguitur. Propositiones syllogismi semper sunt causa conclusionis.

8 AB abstractione tamquam ab aliquo signo, peti potest distinctio scientiarum specificarũ sed à rationis formali, quæ principia includit per quæ proprietates de obiectis demonstrantur, tamquam à priori, tum vnitas, tum distinctio scientiarum specificarũ desumenda est. Nam quam proprietates obiecti materialis, sed formalis duntaxat in scientia tractantur.

9 OMnis habitus vel est speculatiuus vel practicus. Illa diuisio qua aliæ scientiæ dicuntur speculatiuæ, aliæ practicæ, est ad speciem tantùm. & ad cõmoditatem inuenta diuisio. Omnes scientiæ sub vna scientia sunt, cuius obiectum ens reale intelligibile, & hæc non est partim practica, partim speculatiua sed speculatiua tantùm.

10 NOn est vna scientia si diuersa principia consideres, quibus de diuersis obiectis diuersæ proprietates demonstrantur. Vniuersæ scientiæ naturalis ordinis sunt istæ, Metaphysica, Physica, Mathematica, Rationalis, & Moralis: Tres priores sub habitu speculatiuo sunt, duæ posteriores sub practico. Vt abstractio est signum quo speculatiuæ discernuntur, ita concretio est signum quo practicæ inter se distinguntur.

THESES PHYSICAE.

11 CAusa Principalis naturalis ea est quæ subordinata Primæ, primò & per se ac nobiliori modo producit effectum. Instrumentalis verò quæ & imperfectiori modo, & non nisi vt à Principali dependet tamquam ipsius virtus & quasi appendix, suum effectũ fortitur. Nullum instrumentum Physicum nomine Causæ principalis dignum est.

12 ACcidens substantiam complet in genere causæ physicæ efficientis. Nulla substantia naturalis ordinis efficit substantiam, sine sua virtute, quæ est Accidens. Absente substantia, sæpè Accidens substantiam producit: nunquam tamen nisi quatenus est aliquid substantiæ, & virtus ipsius instrumentalis.

13 DEus supremum agens & primum cum omnibus causis secundis concurrit. Vt sine Deo nihil facit causa secunda, ita neque Deus quidquam facit ordinatiè sine causa secunda. Concursus Dei non est motio prævia, non virtus impressa causis secundis, sed ipse Deus concurrens per actum diuinæ suæ voluntatis, secundum exigentiam causæ secundæ.

14 DEus de nouõ concurrit cum causis secundis, vt causarum agentium successiõ postulat: nec tamen propterea mutationis vllius vel tenoris vmbram in se suscipit, sed idem qui fuerat ab æterno nunquam mutatus, nunquam mutabilis. nunc concurrit, nunc non concurrit: si quæ nouitas est, vel terminatiuè est, vel ex nostro intellectu imperfectè concipiente.

15 COncurrit Deus cum causis secundis in quolibet genere causæ, seclusa omni imperfectione. Supplet Deus concursum tum causæ materialis, tum formalis, in eodem genere causæ, non quidem per informationem & receptionem quæ imperfectionem includunt, sed per Continentiam & Sustinentiam, quæ nullam in Deo supplente, imperfectionem ponunt.

16 QVatuor sunt Causarum genera si vniuersè loquaris, aliàs cum addiciẽda sit Causa exemplaris, quinque erunt. formalis causa duplex est vna interna quæ per sui communicationem internam, determinat consortem materiam. Externa, altera quæ per externam expositionem [illegible] determinat artefactum, & actionem agentis sua directione dirigit.

17 CAusa exemplaris est in solo agente per intellectum. Non est conceptus obiectiuus. est verbum mentis dirigens. Causalitas causæ Exemplaris est ipsamet quatenus dirigit. Semper aliqua reflexio est in Verbo dirigente. Cum artifex reflectit se in exemplar suæ mentis, quod ipsum dirigit, non cognoscit ipsam imaginem, sed vagum in imagine spectrum, quod obiectiuè quidem reluceat, sed non dirigit: solà Idæa vitalis dirigit.

18 MOstra natura intendit ob bo nom publicum & commune totius Vniuersi. Per se si vires ipsius spectes vel exiguus nimis, vel nimis auctus, ad monstrum tendit. Esto monstrumsit effectus per accidens causæ secundæ deficientis, non tamen est causa primæ, quæ nec errare nec deficere potest.

EX MATHEMATICA.

19 FIguræ planæ aliæ sunt Circulares, aliæ Triangulares vel Polygoniæ, aliæ Quadratæ, & non plures, Quædam figura alterius additione ac detractione, semper eadem manet immutata, neque maior neque minor fit quàm antea esset. Solidæ figuræ, quinque sunt illæ Platonicæ & non plures.

20 NVlla superficies, cui omni ex parte recta linea accommodari nõ potest, Plana dicenda est. Omnis angulus, vel rectilineus, vel curvilineus est. Contactus duorum circulorum, tum exterior, tum interior, quantitas est. Linea recta continens circulum, licet eum non secet, angulum veri mathematicum facit.

PETRVS DE MONDORY propugnabit à [illegible] Societatis IESV, Die 17. mensis Februarij.

TVRNONI excudit CLAV[illegible] [illegible]ietatis M. DCVII.